



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

CDXIX. Bulle des Papstes Sixtus IV. über die Unverletzlichkeit des nach der dritten Regel des Franciscanerordens abgelegten Gelübdes, vom 1. Dezember 1480.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

CDXIX. Bulle des Pappes Sixtus IV. über die Unverleglichkeit des nach der dritten Regel des Franciscanerordens abgelegten Gelübdes, vom 1. Dezember 1480.

Sixtus, Episcopus, servus servorum dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad crisi vicarii presidentis in specula apostolice dignitatis providam circumspectionem pertinere dinoscitur, quarumlibet personarum altissimo sub regulari habitu mundanis oblectationibus abiectis sedulo famulantium qualitates attendere sicque serventer inuigilare profectibus, ut eis omnis dubietatis materia, que salutem animarum obnubilare videtur, auferatur et contemplacionis suavitate quiescere valeant ac tranquillum domino reddere famulatum. Sane iamdudum accepimus, quod quidam fratres et Sorores Tercii ordinis beati francisci ex speciali concessione nostra vel predecessorum nostrorum collegialiter viuentes post annum probationum in manibus sui ministri seu ministre ab eorum collegio canonice electi vel electe vouent et promittunt paupertatem, obedienciam et castitatem perpetuam solenniter coram toto suo Collegio, Dubitaturque a plerisque, an tale votum sit solemne et obliget sicut tale. Nos igitur, qui ordini predicto et in illo altissimo famulantibus personis, ut vota sua firmiori statu cristo, qui vouerunt, quietius persoluere valeant et animarum periculis quantum possumus providere, intensis desiderijs affectamus, Auctoritate Apostolica tenore presentium decreuimus et statuimus, votum prefatum, sic ut premititur emissum, vel quod emittetur in futurum, de cetero habeat vim et valetudinem voti solemnis ac omnem inducat effectum, quem inducit votum solemne factum cuiuscumque de religionibus a Sede Apostolica approbatis, districte precipiendo mandantes omnibus et singulis cuiuscumque gradus, dignitatis, ordinis aut condicionis fuerint, sub quorum cura aut iurisdictione fratres vel Sorores predicti degunt vel morantur aut degere vel morari contigerit infuturum, ne de cetero fratres vel Sorores prenominatos prefatum votum modo predicto emittentes matrimonium contrahere de cetero seu ante contractum consummare aut religionem ipsam dimittere et ad secularem vitam redire permittant, Quodque, si ipsi fratres vel Sorores contrarium fecerint, matrimonium huiusmodi nullum fuisse et esse eadem auctoritate decernant ac ipsos fratres vel Sorores id facientes excommunicationis Sententia innodatos fore tamdiu denuncient, donec ad cor reuertentes habitum dicte religionis reassumant et votum ac professionem suam iuxta statuta et consuetudines dicti ordinis predicto modo collegialiter viuentes obseruent, meruerintque ab huiusmodi excommunicationis Sententia a suis superioribus absolutionem obtinere, Non obstantibus constitutionibus felicis Recordacionis Bonifacii, pape octauis, predecessoris nostri, et aliis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitucionis, Statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc autem attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Rome apud Sanctum petrum, Anno Incarnacionis dominice millesimo quadringentesimo Octuagesimo, Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno decimo.

Nach einem Transsumte im rathhänslichen Archive zu Stendal.